Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39281
Copyright: Kremsmünster, Benediktinerstift



172. 168.

sunt multa nimis. Qui ponis fontes in
convallibus: inter medium montium pertransibunt
aquae: potabunt omnes bestiae agri: exspectabunt onagri in sitim suam.
Super eis volucres caeli habitabunt: de medio petrarum dabunt vocem.
Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra.
Educens fenum iumentis: et herbam servituti hominum:
ut educas panem de terra. Et vinum laetificet cor hominis:
ut exhilaret faciem in oleo: panis cor hominis confirmet.
Satiabuntur ligna campi: et cedri Libani quas plantavit.
Illic passeres nidificabunt: domus herodii dux eorum est.
Montes excelsi cervis: petra refugium herinaceis.
Fecit lunam in tempora: sol cognovit occasum suum.
Posuisti tenebras: et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae.
Catulorum leonum rugientium: rapere escam sibi.
Exortus autem sol: congregabuntur et in cubilibus suis ponentur.
Exibit homo ad opus suum: et ad operationem suam usque ad vesperum.
Quam magnificata sunt opera tua domine: omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.
Hoc mare magnum et spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis.
Illic navigia pertransibunt: draco hic formatus ad illudendum ei.
Omnia a te exspectant: ut des illis escam in tempore.
Dantibus eis colligent: aperiente te manum tua omnia implebuntur bonitate.
Auferes spiritum eorum: et deficient: et in pulverem suum revertentur.
Emittes spiritum tuum: et creabuntur: et renovabis faciem terrae.
Sit gloria domini in saecula saeculorum: laetabitur dominus in operibus suis.
Qui respicit terram: et facit eam tremere: tangit montes: et fumigabunt.
Cantabo domino in vita mea: psallam deo meo donec sum.
Dulcis ei erit eloquium meum: ego vero delectabor in domino.
Deficiant peccatores a terra: et iniqui ut non sint.
Benedic anima mea domino: benedicite omnes angeli eius.

Cantabo in vita domini

Populus qui ambulabat in tenebris: vidit lucem magnam
habitantibus in regione umbrae mortis: lux orta est eis. Multiplicasti gentem: non magnificasti laetitiam.
Laetabuntur coram te sicut laetantur in messe: sicut exultant victores cum capta praeda